

128. Wolfgang Lorenzer, Diak. crucis (22. Sept.) 1787,
Priest. crucis (20. Sept.) 1788.

129. Vincentius Probst, Diak. crucis (22. Sept.) 1787,
Priest. crucis (20. Sept.) 1788.

130. Coelestin Stöhr, Subdiak. crucis (24. Sept.) 1791,
Diak. crucis (22. Sept.) 1792, Priest. trinitatis (25. Mai) 1793.

131. Othmar Frank, Subdiak. crucis (24. Sept.) 1791,
Diak. crucis (22. Sept.) 1792, Priest. trinitatis (25. Mai) 1793.

132. Aegidius Orthlauff, Subdiak. crucis (24. Sept.)
1791, Diak. crucis (22. Sept.) 1792, Priest. trinit. (25. Mai) 1793.

12. Unter Abt Otto Roppelt 1792—1800:

133. Chrysostomus Cantor, Diak. crucis (23. Sept.)
1797, Priest. trinitatis (18. Mai) 1799.

134. Augustin Geyer, Diak. crucis (23. Sept.) 1797,
Priest. crucis (22. Sept.) 1798.

135. Ildephons Schatt, Diak. crucis (23. Sept.) 1797,
Priest. crucis (22. Sept.) 1798.

136. Bonifatius Eppenauer, Diak. crucis (23. Sept.)
1797, Priest. crucis (22. Sept.) 1798.

137. Valerius Wagner, Diak. crucis (23. Sept.) 1797,
Priest. crucis (22. Sept.) 1798.

138. Ambros Seufrid, Diak. trinitatis (2. Juni) 1798,
Priest. trinitatis (18. Mai) 1799.

13. Unter Abt Gallus Dennerlein 1801—1803:

139. Anselm Reuschel, Subdiak. crucis (18. Sept.) 1802.

140. Gregor Leicht, Subdiak. crucis (18. Sept.) 1802.

(Schluß folgt im nächsten Heft.)

Die Consuetudines Schyrenses.

Mitgeteilt von P. Stephan Kainz, O. S. B. in Scheyern.

(Fortsetzung zu H. IV. 1903. S. 696—704.)

De lectione Collationis ante ingressum Completorii.

Diebus binae refectionis peracta cena et servato intervallo
ac post pulsum, de quo supra, praemissis] f. 17 r. [signis duobus
per servitorem eo modo, quo fit ad mensam, stantibus fratribus e
regione ad signum praesidentis lector petita benedictione dicendo:
Jube domne benedicere Praesidens dicit: Noctem quietam et

finem perfectum tribuat nobis omnipotens et misericors Dominus. **R.** Amen. Tunc sedentibus fratribus fit lectio ad tertiam aut quartam unius horae et facto signo a praesidente lector surgens dicit: Fratres, sobrii estote et vigilate, quia adversarius vester diabolus tamquam leo rugiens circuit quaerens quem devoret cui resistite fortes in fide. Tu autem Domine etc. Et respondentibus cunctis Deo gratias intrant ad completorium. In diebus autem jeiuniorum post vesperas et in quadragesima post lectionem regularem factis intervallo et signis cum pulsu, ut supra, convenientibus fratribus ad refectorium post initium collationis sedentibus omnibus, postquam certus passus fuerit lectus, servitor stans in medio modice inclinatus cum vino petit benedictionem alta voce indirectum dicendo Benedicite. Et praesidens cum accentu dicit: Potum caritatis benedicat dextera dei patris omnipotentis. Respondentibus singulis: Amen fit singulis ad singula piccaria infusio. Et continuata lectione ad signum pro secunda infusione lector continuat lectionem usque ad signum aliud pro lectione quotidiana, videlicet Fratres, sobrii estote etc. Si est dies jeiunii regularis, iuniores et ceteri, qui cibum in sero capiunt, manducant ibidem in refectorio infra collationem in mensa speciali. Qui facto eis signo a priore ante ultimam lectionem collationis dicunt simul Gratias, et post lectionem Fratres, sobrii etc. cum ceteris completorium, intrant. Aliis autem ieunantibus datur, quando habetur, de vino meliori saltem pro prima infusione. Ad praedictam lectionem collationis et praecipue ad completorium singuli fratres studeant secundum regulam venire exceptis legitime impeditis. Finita lectione collationis intrantes chorum pro dicendo completorium et facto per accolitum signo, de quo supra, praesidens dicit versus Adiutorium nostrum etc. Et dicto Pater noster dicitur: Confiteor, ut supra habetur; quo dicto ad signum praesidentis Ebdomadarius incipit completorium cum versu: Convertite nos deus etc. In fine completorii Praesidens, priusquam incipit antiphonam Salve Regina aut aliam secundum temporis exigentiam benedicendo conventum dicit: Benedicat et custodiat nos omnipotens et misericors Dominus Pater et Filius et Spiritus sanctus. **R.** Amen. Deinde incipit antiphonam ut supra, quae competit. In fine autem orationis, quae dicitur de beata virgine, post horas semper additur per praesidentem versus: Et famulos tuos ab omni adversitate custodi. Deinde dicto per ebdomadarium versu: Et fidelium animae concluditur opus dei cum trina oratione. Quae perdicta fit signum per accolitum ad Ave Maria. Deinde cunctis in locis suis intra stalla flectentibus praesidens singulos aspergit aqua benedicta. Et facto signo per eum ad dormitorium] f. 17 v. [transitur ac deinceps silentium summum servatur, ut statim infra patebit.

De Silentio claustrali: Innocentius Tertius.

In oratorio, refectorio et dormitorio continuum semper silentium observetur. In claustro quoque certis horis et locis secundum antiquam monasterii consuetudinem laudabiliter observatam.

De eodem ex carta prima reformationis huius
monasterii.

Silentium quoque regulare in oratorio, dormitorio, refectorio et ambitu, prout regula et sacri canones edocent, diligentius observetur, praecipue tamen, prout regula singulariter exprimit, post completorium strictissime observetur, cum luce clarius constet nullam in illis monasteriis crescere devotionem aut religiosam observantiam permanere, in quibus hoc tempus silentii post completorium, quod usque post capitulum de mane durat, non fuerit diligentissime custoditum. Collocationes etiam tam inter se quam cum saecularibus personis et ambasias mittere vel recipere, literas quoque et munuscula absque singulari praesidentis tamquam regulari observantiae et paci contraria firmiter inhibemus. Verumtamen causa necessitatis loqui poterunt, cum necesse fuerit, sub silentio unica oratione et imperfecta loco et tempore opportunis. Silentium igitur regulare servandum est cum omnibus et semper: In oratorio, hoc est per totam ecclesiam et chorum cum absidibus et cappellis annexis; in dormitorio, videlicet ab ingressu eiusdem per totum dormitorium, locum secretum et in transitu ad eundem; in gradibus etiam dormitorii silentium custodiat. Stationes et colloquia in dictis locis et ante cellas fratrum omnino caveantur. Sed nec quisquam cellam alterius intrare praesumat praeter cellam prioris, cui ibidem fratres de necessariis loqui possunt iuxta patrum visitorum permissionem. In refectorio omni tempore silentium ab omnibus servetur nec ibidem tempore hyemali circa aut super fornacem sessiones aut stationes ad colloquendum fiant aut aliquo modo permittantur. Idipsum fiat in claustro per totum ambitum, in lavatorio insuper et proforario¹⁾ silentium custodiat, excepto dum fratres ibidem sunt in aliquo labore aut cum pro tempore recreationis causa ibidem in generali omnibus aut specialiter aliquibus licentia loquendi indulgetur. Loca vero et tempora ad colloquendum apta per abbatem expressa sint et deputentur, ut videtur expediens. In ipsis autem colloquiis generalibus vel specialibus, ubicumque fuerint concessa, disciplinam et honestatem conservent, a verbis offensivis sibi omnino caveant. Excedentes vero secundum suorum qualitatem excessuum puniantur nec ad huiusmodi colloquia de cetero nisi emendati accedere permittantur. In infirmaria etiam tempore minutionis aut alias in privato re-

¹⁾ Ac hortulo cum fonte.

ficientes ad mensam praecipue silentium observent. In vestiario petitis necessariis fratres ad loca sua redeant nec ibidem stationes aut sessiones] f. 18 r. [absque causa faciant. In balneo similiter et in stuba rasurae silentium pro posse custodiatur. In reliquis vero officinis et in labore quocumque simul existentes in pertinentibus obmissis de necessariis et sub silentio breviter loqui possunt neque de auditis et visis extra conventum inter se audeant intus referre aut interrogare curiose. Tempore nocturno, scilicet ab egressu de completorio usque post capitulum sequentis diei iuxta regulam et patrum sanctiones strictissime silentium ab omnibus teneatur. Sed neque horis incompetentibus, ut sunt hora dormitionis meridianae tempore aestivo, hora lectionis regularis, et post primum signum ad opus dei et tempore divini cultus frater iungatur ad fratrem absque licentia speciali et nisi sola necessitate cogente. Exeuntes etiam de choro et intrantes ad opus dei silentium summe servent. De poenis vero silentii legem transgredientibus superius in cartha patrum visitorum plenius continetur.

De Colloquiis generalibus.

Propter strictius ac diligentius aliis diebus et horis custodire silentium una die infra ebdomadam iuxta patrum visitorum indulgentiam et permissionem fratres licentiam generalem, scilicet tertia aut quinta feria habent colloquendi de rebus utilibus ab hora prima usque ad secundam. Et si fuerit aura disposita, tempore aestivo dictum colloquium habetur in orto; aliis autem temporibus in loco capitulari. In Quadragesima tamen et infra adventum domini dicta colloquia generalia suspenduntur. Diebus etiam festivis et in sollempnitatibus, praesertim maioribus, decens est, ut silentium strictius custodiatur nec absque necessitate urgente colloquia in eisdem privata concedantur. Quia vero signis et nutibus non utimur, ideo orationem imperfectam et brevem necessariam non prohibemus dicere vel etiam necessarium aliquid interrogare. Qui vero causam loquendi habet cum hospite vel extraneo, licentiam capiat et ducat eum ad capitulum vel, si est frigus magnum, ducatur cum licentia ad aliquam stubam.

De fratribus monasterium egredientibus.

Sicut religiosus frequens in monasterio mansio spiritualis vitae maximum praestat iuvamentum, sic exitus a monasterio et cum saecularibus personis conversatio devotionem minuit et aliquotiens totaliter extinguit. Ideo rara et nisi ex evidenti necessitate aut magna utilitate fratribus de monasterio egrediendi licentia concedatur, quia omnino non expedit animabus eorum.

Egressuro vero redeundi praefigatur terminus, infra quem, si cessantibus legitimis impedimentis redire neglexerit, tamquam fugitivus ordinis, ut ceteri metum habeant, puniatur. Peregrinationis

vero causa nullus emittatur, sed neque solatii occasione dumtaxat soli egrediendi licentia detur, sed propter mutuam custodiam omni loco, praecipue extra monasterium plures insimul conversentur. Praeterea] f. 18 v. [ubicunque fuerint aput extraneos in omni morum gravitate religiose et honeste se regant, verbis et factis bona studeant aedificationis dare exempla, omnem quoque malae suspicionis notam aut cuiuscumque scandali occasionem summopere cavere solliciti sint, et cum personis sexus feminei infra vel extra monasterium convivare aut mensas facere nullatenus permittantur, quod et omni tempore monachis illicitum est et eorundem professioni adversum. Egressuri, si per dies aliquos eos abesse contigerit, confitendi, missam celebrandi aut communicandi, et si casus occurrerit, confessiones audiendi, extra horam manducandi aut bibendi, in plumis dormiendi, eleemosinam dandi et de ceteris necessariis aut occurrentibus licentiam petant a domino abbate specialem. Egredientes vero fratres ducit prior ad orationem, videlicet ante summum altare in choro communiter vel alibi prout tempus permiserit. Flectentes dicunt Pater noster, secreta. *℟.* Et ne nos inducas. *℣.* Salvum fac servum(os) tuum(os). Deus meus sperantes. *Mitte ei(is) auxilium de sancto. Et de Syon tuere eum(os). Dominus vobiscum. Oremus. Adesto, domine, supplicationibus nostris et viam famulorum tuorum in salutis tuae prosperitate dispone, ut inter omnes viae et vitae huius varietates tuo semper protegantur auxilio. P. Chr. D. n. ℞. Amen. Et postea osculato altari aspergit eos aqua benedicta.*

De redeuntibus de via.

Similiter redeuntes de via ducit prior primo ad orationem ut supra. Et dicitur Pater noster, secreta. *℟.* Et ne nos. *℣.* Salvum fac servum(os) tuum(os). *℞.* Deus meus sperantes. *℣.* Convertere Domine usquequo. *℞.* Et deprecabilis esto super servum(os) tuum(os). Dominus vobiscum. Oremus. Omnipotens sempiternus Deus, miserere huic famulo(is) tuo(is) et quidquid ei(is) in via surrepserit visus aut auditus malae rei vel otiosi sermonis totum ineffabili pietate propitiatus indulge. Per Chr. D. n. Et osculantur altare, facto desuper prius crucis signo vaduntque ad loca sua. Prosternunt se autem ad horas, ut supra habetur in capitulo de prostrationibus. Nullus vero de his quae foris audivit aut vidit quippiam ceteris referre praesumat; quod si quis praesumpserit, gravi subiaceat vindictae. Insuper domino abbati, si extra monasterium pernoctaverint, primam sacramentalem tenentur facere confessionem, nisi confessori deputato ipse abbas huius dederit facultatem. Revertentes etiam de via prima nocte post reditum non obligantur cum ceteris surgere ad matutinum.

De disciplina in spatiis extra monasterium tenenda.

Si quando recreationis vel solatii causa fratribus extra monasterii septa egredi permittitur, convocati post nonam hora competenti per signum nolae ad locum capitularem omnes, scapularibus induti, conveniunt, ubi flexis genibus dicta oratione et aspersi aqua benedicta per praesidentem. Si quis ex eis in coenobio manere optaverit, non sua sponte, sed cum scitu superioris id faciat, in cuius arbitrio stabit, si] f. 19 r. [frater ille remanere aut cum aliis transire debeat. Egredientes autem in via disciplinam verbis et gestibus observent nec privatim singulares singularia et a ceteris separati quaerant spatia sine praesidentis licentia speciali, sed simul sedeant et transeant ac honeste conversentur, laicis et saecularibus personis omnino exclusis. Spatia autem privata duobus aut pluribus non nimis faciliter concedantur, et talia dumtaxat ad loca, unde ante refectionem egredientes ad prandium aut post ad cenam valeant tempore debito redire. In quibus spatiis tam communibus quam privatis prioris aut superioris sive alterius maturi ac discreti fratris et zelum religionis habentis superintendencia deesse non debet, nihilque cibi aut potus sive communiter sive privatim spatiantibus sine licentia speciali concedatur, exceptis pro tempore fructibus crudis, quibus de licentia pro refrigerio vesci possunt. Revertentibus autem de spatio potus in orto vel in refectorio more solito poterit concedi nec occasione spatiantorum extra monasterium diutius tardent, quatenus divinus cultus absque diminutione debito tempore peragatur. Redeuntes a spatio locum capitularem simul intrent ibique orationem faciant more consueto.

De jeuniorum observantia.

Jeunia vigiliaeque ecclesiae sunt tota quadragesima et apud religiosos quinquagesima, id est a feria secunda post Esto michi incipiendo; quatuor tempora in feria quarta, sexta et sabbato; vigilia sancti Mathiae apostoli, vigilia pentecostes, vigilia Nativitatis sancti Johannis waptistae, et vigilia sanctorum apostolorum Petri et Pauli, sancti Jacobi apostoli et sancti Laurentii martiris; vigilia Assumptionis Beatae Mariae Virginis, Bartholomaei apostoli, sancti Mathaei evangelistae, sanctorum apostolorum Symonis et Judae, vigilia omnium sanctorum, sancti Andreae, sancti Thomae apostoli, et vigilia Nativitatis domini. In his omnibus jeuniorum diebus, si facultas monasterii admiserit, utendum est cibis quadragesimalibus et sine butiro, caseo et ovis. Dies vero Rogationum iuxta patriae laudabilem consuetudinem, similiter in vigilia purificationis Virginis Mariae et nativitatis eudem, ut ceteri fideles jeunamus. Jeunium regulare incipit a festo Penthecostes singulis quartis et sextis feriis usque ad ydus semptembris id est ad

vigiliam Exaltationis sanctae Crucis et tunc durat cottidie usque ad festum paschae. Feria insuper sexta ex consuetudine patriae semper cum ceteris fidelibus etiam post pascha infra pentheosten jeiunamus. Sed et jeiunium regulare per sacrum tempus dominici adventus aliorum religiosorum more commendabili strictius observare consuevimus.

De Quinquagesima et Capite Quadragesimae.

Feria secunda post Esto mihi incipimus jeiunare cum cibis quadragesimalibus, dicta feria et sequenti tertia officium principale post]f. 19.v.[tertiam cantatur.

In die cinerum Sacristanus comburit palmas benedictas de anno praeterito et colligit cineres, quos dominus abbas benedicit ante missae inceptionem iuxta rubricam in missalibus contentam. Recipiendo cineres sacros non exuimus calciamenta, sed solum in magna sexta feria infra adorationem crucifixi, sicuti inferius patebit.

De officio quindecim graduum.

Ab ista feria quarta Cinerum usque in cenam Domini et nullo alio tempore ante inchoationem matutini absolute incipitur canticum graduum in feriali officio et festo trium lectionum tantummodo; psalmi semper dicuntur sedendo, orationes vero et versiculi in feriis flexis genibus, sed in festo trium lectionum inclinando. Ps. Ad Dominum cum tribularer cum reliquis usque Qui confidunt. Sed in fine ultimi psalmi tantum dicitur V. Requiem aeternam. Pater noster secrete V. Et ne nos. V. A porta inferi. V. Requiescant in pace. V. Domine exaudi orationem meam. V. Dominus vobiscum. Oremus. Absolve quaesumus, Domine, animas famulorum famularumque tuarum et omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum, ut in resurrectionis gloria inter sanctos et electos resuscitati respirent. P. Chr. D. n. Postea Ps. Qui confidunt cum reliquis usque De profundis. In fine cuiuslibet psalmi V. Gloria patri; Sicut erat. Deinde Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison, Pater noster, secrete V. Et ne nos. V. Memento congregationis tuae. R. Quam possedisti ab initio. V. Domine exaudi orationem meam. V. Dominus vobiscum. Oremus Deus, cui proprium est misereri et semper parcere, suscipe deprecationem nostram et nos et omnes famulos tuos, quos delictorum cathena constringit, miseratio tuae pietatis absolvat. P. Chr. D. n. Deinde Ps. De profundis cum reliquis usque Laudate nomen Domini. In fine cuiuslibet psalmi V. Gloria patri. Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster, secrete. Et ne nos. V. Salvos fac servos tuos. R. Deus meus sperantes in te. V. Domine exaudi. Dominus vobiscum. Oremus. Praetende,

Domine, famulis et famulabus tuis dexteram caelestis auxilii, ut te toto corde perquirant et quae digne postulant, consequi mereantur. Per Chr. D. n. Postea dicitur officium Beatae Mariae Virginis.

De septem psalmis paenitentialibus.

Ab isto die usque in Cena Domini in feriali officio tantum post nocturnos immediate flexis genibus dicuntur VII psalmi paenitentiales sub Antiphona: Ne reminiscaris Domine delicta nostra vel parentum nostrorum neque vindictam sumas de peccatis nostris, cum letania, plane et sine cantu. In fine orationum, *Ÿ*. Exaudiat nos omnipotens pius et misericors dominus. *R*. Amen. *Ÿ*. Et fidelium animae etc. Pater noster. Praesidens: Dominus det nobis suam pacem. Ant. Salve Regina more consueto. Nota, in hac die et duobus sequentibus diebus dicuntur vesperae et reliquae horae una cum missa sicut aliis sextis feriis extra quadragesimam.¹⁾ Feria sexta in capite jeiunii singuli fratres post refectionem praesentant libros et codices, quibus usi sunt in cellis, ad bibliotecam et ibi de]f. 20 r. [novo iuxta prioris dispositionem aut bibliotecarii recipiunt codices, quos legere cupiunt per quadragesimam et deinceps. A sabbato inantea et deinceps usque ad diem cenae, diebus dominicis exceptis capitulum quotidianum habetur post tertiam propter silentium isto sacro tempore prolongare. Missae autem privatae dicuntur statim post primam. Et ante cenam canitur vespera quae sic temperatur, ut hera XII. fratres transeant ad mensam. Si sunt duae missae cantandae, prima videlicet de festo dicitur statim post tertiam et deinde celebratur capitulum et post sextam cantatur missa de tempore. Missa autem pro defunctis, si occurrit cantanda, habetur immediate post primam infra missas privatas, excepto anniversario fundatorum, cuius missa post tertiam cantatur. Si est aliqua festivitas magna, in qua fortassis non duae, sed una dumtaxat scilicet de festo missa cantatur, talis cantatur post sextam, in qua etiam commemoratio habetur de tempore et nichilominus integra missa de tempore per ebdomadarium praecedentem sub eadem missa legitur cantata. Sabbato etiam in capitulo legitur capitulum XLIX. de quadragesimae observatione et post lectionem ibidem omnes secundum ordinem recipiunt benedictionem pro libris ab abbate, flexis genibus. Quilibet etiam in cedula speciali informat abbatem, quid peculiariter orare, quantam etiam abstinentiam in cibo, potu et vigiliis ultra solitum pensum per quadragesimam deo offerre velit, quas quidem cedulas abbas singulas examinans ad partem caute videat, ut nullus excessive gravet, corrigens superflua vel addens aut commutans inconvenientiora. Forma autem cedularum

¹⁾ Am Rande steht: Agenda in Quadragesima.

quae offertur, est talis vel consimilis: Reverende in Christi pater et domine, Ego frater N. in hoc sacro tempore quadragesimali adaugendo solitum servitutis pensum pro salute animae meae et negligentiarum admissarum aliquali recompensa vel emendatione propono dicere psalterium, semel vel bis ex integro. Item cursum de passione domini singulis septimanis semel, item officium defunctorum vel septem psalmos. quando non habentur in choro, item bis in ebdomada abstinentiam facere in vino et esu piscium vel certis diebus abstinere ab uno cibo regulari et totidem diebus strictissime silentium observare, item pro lectione cellae legere cogitavi collationes vel instituta patrum etc. Pro his vel super his et aliis bonis operibus quae, deus dignabitur per me operari, paternitatis vestrae benedictionem et orationem supplico devotus.

Alia forma ad idem.

Reverendae paternitatis vestrae fr. N. humilis et devotus filius pro instanti quadragesima supra indicta sibi mensura servitutis suae pensum adiungendo diebus singulis orare proponit quinque pater noster etc., item abstinere a vino vel a media eius portione etc. ut supra ¹] f. 20 v. [Haec omnia paternitati vestrae suggerendo offert obsecrans humiliter, quatenus eidem super accedere dignetur cum benedictione assensus, voluntas et oratio, ut cum spiritualis desiderii gaudio sancto sanctum valeat sic praedispositus expectare pascha aeternum. Amen.

De tabula officiorum Ebdomadae maioris.

In tabula speciali, quae et publice inantea legitur in capitulo, designantur officia et quaelibet specialiter per deputatos cantanda vel legenda in ebdomada maiori, qui scilicet missas cantare debeant principales, qui legere passionem, qui lamentationes singulis cantare diebus, qui evangelium ante et post mandatum in die cenae, qui etiam Exultet debeat cantare etc. De processione autem in die palmarum habetur inferius, ubi de processione agit.

Passiones cantantur per deputatos in tunicis dalmaticis rubeis, excepta illa, quae legitur in die paraseves in sola alba super nudo pulpito. Infra passionem, qui praesentes fuerint, non sedent, sed stant, sicut ad evangelium per totum. Et non petitur a legente benedictio neque dicitur Dominus vobiscum, sed tractu finito absolute legitur passio, verbi gratia: Passio Domini nostri J. Chr. secundum Mathaeum etc. Et illo loco, ubi legitur in thono evangelii, petitur benedictio et datur incensum cum luminaribus

¹) Am Rande unten stehen mehrere, von späterer Hand gemachte Bemerkungen, welche zumeist unleserlich sind.

per accolitos et absolute postea complicatis manibus continuatur, quod inceptum est ad finem et istud observatur ad omnes passiones.

De triduo ante Pascha.

In die cenae domini et duobus diebus sequentibus agimus officium divinum secundum romanam rubricam. Ad matutinum autem excitatio fit media post undecimam. Et dicta Trina oratione atque per accolitum accensis antea lucernis absolute ab antiphonis et psalmis inchoamus prout habetur in libris. Et fiunt novem lectiones quottidie, quarum primae tres sunt lamentationes, quae cantantur et a senioribus secundum ordinem incipiuntur, ut supra patuit. In fine cuiuslibet lamentationis loco Tu autem canitur: Jerusalem, Jerusalem, convertere ad dominum deum tuum. Aliae autem lectiones leguntur sine Jube dompne, et sine Tu autem. Nam post versiculum et dicto Pater noster secreto et sine Et ne nos expresso ad signum praesidentis lector absolute legere incipit. Et finiuntur lectiones sicut psalmi, ut in officio defunctorum per fa, fa, mi. Nec dicuntur, ut alio tempore, absolutiones neque benedictiones. In laudibus in hoc triduo simpliciter absolute finito ultimo responsorio, scilicet nono, inchoatur ab antiphona prima; et non dicitur Capitulum nec responsorium breve nec ympnus. Antequam laudes compleantur circa finem psalmi ultimi luminaria et lampades extinguuntur in choro praeter unum lumen, quod per sacristanum absconditur in sacristia. Versiculi omnes cantantur a duobus acolitis et finiuntur similiter, sicut psalmi, in tono suspenso. Quando antiphona ad Benedictus incipitur per praesidentem, primo cantatur tota; [f. 21 r.] et priusquam cantor Benedictus incipit, Abbas solus cum baculo sibi a sacrista parato formam sedilium ante se quinque ictibus percutit tractim. Et post hoc cantor incipit alta voce Benedictus, quod per choros totum cantatur. Et post ultimum versum iterum abbas percutit cum baculo, ut supra; post cantor incipit antiphonam, qua finita abbas iterum tertio percutit, ut supra. Finita percussione cantor incipit Graduale: Christus factus est pro nobis, quod prima nocte cantatur usque ad mortem inclusive. Secunda die usque mortem autem crucis, tertia die totum cum versu Propter quod et deus. Et sicut in matutino, ita per horas diei dicitur sine cantu. Tantum in vespere diei Cenae etiam cantatur. Finito versu Christus factus est flectimus genua et dicto Pater noster secreto ad signum abbatis cantor incipit plane Ps. Miserere mei deus sine nota. Quo finito inmediate sine Oremus dicit abbas orationem: Respice quaesumus domine simili voce, sed Qui tecum dicunt quilibet aput se sub silentio. Et facto signo statim exeunt omnes et lumen absconditum revelatur et lampades solito accenduntur. Item Prima, Tertia, Sexta, Nona praemisso Pater noster,

quod flexis genibus dicitur, absolute incipiuntur a psalmis per cantorem submissa voce indirectum sine tono et cantu et sine Gloria. Et semper finitis psalmis dicitur versus Christus factus est pro nobis obediens. Deinde flexis genibus Pater noster, Ps. Miserere et oratio Respice dicuntur sicut in matutino. In hoc triduo non dicuntur ad horas psalmi consueti secundum regulam, sed ad primam dicitur Ps. Deus in nomine tuo, Beati immaculati usque Legem pone. Ad tertiam Legem pone mihi usque ad Defecit in salutare. Ad sextam Defecit in salutare usque Mirabilia. Ad nonam Mirabilia usque ad finem. Ad primam hora sexta fit excitatio. Et dicta prima itur ad capitulum, ubi hoc triduo nichil pronuntiat de martirologio, nec dicitur Pretiosa, sed stantibus fratribus Cantor absolute incipit Ps. de profundis; quo finito cum versu Requiem aeternam, in fine dicit praesidens Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Pater noster secreta, versus et orationem absolute, ut consuetum est. Et ad regulae lectionem legitur hoc triduo absolute sine Titulo, sicut et in aliis fit lectionibus, tertius humilitatis gradus et in fine cum tono suspenso, ut in aliis lectionibus hoc triduo consuetum est.

De mandato pauperum.

In die Cenae finita in capitulo lectione de regula legitur rubrica de mandato pauperum et de mandato fratrum in forma hic posita: Post horam septimam dicitur tertia, ad quam omnes fratres induti floccis conveniunt et finita tertia abbas ac singuli fratres flectentes genua ante gradus altaris ac paulisper orantes abbas sine cantu plane in voce gravi incipiat Ps. Miserere mei deus, quem fratres de quolibet choro¹⁾] f. 21 v. [dicunt alternatim bini et bini eundo processionaliter plane versus pauperes, ita quod abbas et prior vadunt primo, deinde alii bini et bini secundum ordinem. Et venientes ad pauperes, qui sedere debent in medio ecclesiae inferius per scampna ipsis aptata, omnes coram eis flectant genua et Christus in eis adoretur. Finito psalmo surgunt et cantor incipit antiphonam Dominus Jesus postquam coenavit, qua finita aliqui versus et antiphonae, prout hora permiserit, de cantu illo Mandatum novum do vobis ibidem infra lotionem et post cantantur. Interim abbas et prior exuti floccis et induti scapularibus ac praecincti mundis lintheaminibus, cellerario aquam fundente in pelvim, lavant flexis genibus pedes pauperum ab ultimo incipiendo. Quod si pauperes sunt multi, tunc abbas assumit sibi unum et prior similiter unum, ita ut quattuor lavent in quolibet choro duo et quilibet lavat unum pedem, quem lintheo tergens postea praemisso signo crucis devote osculatur. Post

¹⁾ Darunter steht noch, von anderer Hand geschrieben: Item in triduo ante pascha per integram psalmodiam omnes stamus.

lotionem pauperum omnes fratres veniunt ex ordine per singulos pauperes et flexis genibus osculantur dexteram pedem. In fine dantur pauperibus eleemosinae consuetae per cellerarium, scilicet singulis panis simulae et duodecim denarii. Quo facto et iam domino abbate ac priore reindutis cessatur a cantu et redeuntes ad pauperes flectunt ibidem omnes genua. Et abbate incipiente dicitur per choros Ps. Magnus Dominus etc. plane in directum sine Gloria. Quo finito Abbas dicit Kyrie eleison. Et Pater noster secreta. *℣*. Et ne nos. *℣*. Ostende nobis, Domine, misericordiam tuam. *R*. Et salutare tuum. *℣*. Tu mandasti mandata tua custodiri nimis. *R*. Opera manuum tuarum, Domine, ne despicias. *℣*. Domine ne exaudi orationem meam. *℣*. Dominus vobiscum. Oremus. Adesto, Domine, officiis servitutis nostrae et quia pedes lavare dignatus es discipulis tuis, ne despicias opus manuum nostrarum, et quae nobis retinenda mandasti, praesta quaesumus, ut sicut a nobis his exteriora abluuntur inquinamenta, sic a te omnium nostrum laventur peccata, quod ipse praestare digneris, qui cum patre et spiritu sancto vivis et regnas in saecula saeculorum. *R*. Amen. Deinde surgentes facta inclinatione abbas incipit Ps. Miserere mei Deus. Et intrantes chorum ante altare flectendo in gradibus finiunt psalmum. Deinde abbas dicit Kyrie eleison etc. Pater noster. *℣*. Et ne nos. *℣*. Salvos fac servos tuos. *℣*. Mitte nobis auxilium de sancto. *℣*. Dominus vobiscum. Oremus. Actiones nostras quaesumus Domine aspirando praeveni et adiuvando prosequere, ut cuncta nostra oratio et operatio a te semper incipiat et per te coepita finiatur. Per Ch. D. N. *R*. Amen. Et deinde vadunt singuli ad cellas et servatur lectio regularis usque ad horam nonam; qua signata [f. 22 r.] fit signum primum ad sextam, quae una cum nona ante missam plane dicuntur. Dicta nona incipitur officium missae, de quo plenius in missalibus habetur. Sub Gloria in excelsis fit signum in choro cum campanella pro signo ad elevationem deputata et pulsatis omnibus campanis suspenditur pulsus campanarum usque ad Gloria in excelsis in missa sabbati sequentis. Hac die sola omnes fratres communicantur de manu abbatis. Post communionem fratres vadunt ad chorum et cantant vespere absolute incipiendo a prima antiphona Calicem salutaris, quam incipit senior in choro Ebdomadarii. Ps. Credidi cum reliquis psalmis et antiphonis, prout in libris habetur; Capitulum, ymnus, versus non dicuntur. Antiph. ad Magnificat duplicatur, qua finita post Magnificat cantor incipit Christus factus est pro nobis, ut supra in laudibus. Finitis vespere fit signum cum tabula ad mensam. Benedictionem mensae quaere in rubrica alia de benedictionibus mensae. Lector hac die et sequenti non dicit Iube domne nec in fine Tu autem, sed a principio dicto Pater noster stat in loco solito ante crucifixum, quousque abbas facit signum

crucis. In fine facto signo loco Tu autem legit passum certum, quem concludit sicut et alias lectionis per hoc triduum. A principio etiam legendo non praemittit tytulum aliquem, sed absolute, sicut fit in matutino.

De mandato fratrum eodem die.

Post refectionem hora prima vel citra iuxta praesidentis ordinationem sonetur tabula pro sermone, qui eo die fit propter concursum communem ad populum. Quo ad finem perducto et iuxta ipsius conclusionem disponuntur ministri se induendo ad mandatum fratrum, quod celebratur hoc modo: Dyaconus lecturus evangelium induit se alba et stola ac manipulo et ceroferarii duo superpellicis et desuper cappis induti, et subdyaconus librum portans ipsum dyaconum praecedentes veniunt ad ambitum, ubi per duos choros ante refectorium sunt abbas et fratres induti floccis sine calligis tamen. Et feria quarta prius in privato per eos lotis pedibus, et stantibus cunctis medie discoopertis e regione, Dyaconus prope abbatem astante sibi subdyacono et accolis duobus cum cereis ante pulpitem pannis coopertum absolute inchoat legere evangelium: Ante diem festum paschae in tono evangelii consueto usque ad finem et cum perventum fuerit ad locum: Exemplum enim dedi vobis etc Finito evangelio lector eiusdem cum ministris redit ad sacristiam. Interim Coci et familia praeparaverunt aquam calidam, pelves et vasa necessaria ad locum aptum in ambitu. Fratres vero cantores circa ingressum locutorii canunt super pulpito aptato ea, quae sunt cantanda. Et abbas et prior exuti floccis et coassumptis sibi duobus fratribus induti scapularibus et praecincti lintheis lavant pedes fratrum per duos] f. 22 v. [choros a novissimis incipiendo. Cellerarius fundit aquam abbati et dispensator priori in pelves et super lavandorum pedes. Et qui lavant, quilibet osculatur flexis genibus pedem unum. Cum Cantores sunt lavandi, alii fratres in locum eorum ad cantandum succedunt In fine duo seniores lavant priorem et ultimo abbatem. Et resumentes floccos sedent ut prius in locis suis et lector alius in flocco tantum legit ulterius in evangelio, ubi dyaconus dimisit in tono lectionis ad mensam. Et pervento ad locum illum: Surgite, eamus hinc, quem conformiter concludit sicut alias lectiones hoc triduo omnes surgunt et praecedunt juniores bini et bini ad refectorium; ubi positis piccariis ad mensam sedentibus singulis lector in loco consueto continuat lectionem. Si sunt ibi personae notabiles, clerici aut layci, locantur ad mensam unam secundum ipsorum conditionem, fratres in latere uno alterius mensae, non inter laycos residentes Et lecto aliquantulum cellerarius et dispensator tenentes in manibus cantaros cum vino, super quo data benedictione per abbatem absque aliquo verbo cum simplici signo

crucis infundunt secundum ordinem singulis bina vice; et si habetur, datur vinum rubeum et offerunt ibi bibentibus confectiones pro collatione consuete. Continuata lectione usque ad Egressus Jesus torrentem cedron surgentes vadunt singuli ad chorum pro complendo completorio Dicitur Confiteor et post cantor absolute incipit Ps. Cum invocarem plane indirectum, post quem hoc tri-duo additur Ps. In te Domine speravi primum usque ad versum In manus tuas inclusive. Deinde psalmi consueti; finitis psalmis dicitur Nunc dimittis et post versus Christus factus est cum reliquis ut supra ad alias horas, post orationem Respice trina oratione dicta fit signum solitum pro angelica salutatione. Et sequitur aspersio fratrum.

(Fortsetzung folgt im nächsten Hefte.)

Katalog zum Herbar des Abiturienten Anton Außerdorfer.

Alphabetisch geordnet und mit Einleitung über das Studium der Pflanzenkunde in Tirol bis zum Jahre 1855 versehen. Von P. Vinzenz Gasser, O. S. B. Gries.

(Schluß zu Heft IV. 1903. S. 687—696.)

- | | |
|--|--|
| 1. <i>Achillea atrata</i> . L. | 19. <i>Aethusa Cynapium</i> . L. |
| 2. " <i>Clavenae</i> . L. ¹⁾ | 20. " <i>Meum</i> . ? ⁷⁾ |
| 3. " <i>Clusiana</i> . Tausch. ²⁾ | 21. <i>Agrimonia Eupatoria</i> . L. |
| 4. " <i>Millefolium</i> . L. | 22. <i>Aira spicaventi</i> . ? |
| 5. " <i>montana</i> . ? | 23. <i>Ajuga genevensis</i> . L. |
| 6. " <i>moschata</i> . Wulf. ³⁾ | 24. " <i>pyramidalis</i> . L. |
| 7. " <i>tomentosa</i> . L. | 25. " <i>reptans</i> . L. |
| 8. <i>Aconitum Anthora</i> . L. | 26. <i>Alchemilla vulgaris</i> . L. |
| 9. " <i>caeruleum</i> . ? | 27. <i>Alisna Plantago</i> . L. |
| 10. " <i>Lycoctonum</i> . L. | 28. <i>Alnus glutinosa</i> . Gärtner. |
| 11. " <i>Napellus</i> L.. | 29. <i>Alsine aixatiliata</i> . ? |
| 12. <i>Actea spicata</i> . L. | 30. " <i>austriaca</i> . M. |
| 13. <i>Adenostyles albifrons</i> . Reichenb. ⁴⁾ | 31. " <i>laricifolia</i> . Crantz. ⁸⁾ |
| 14. <i>Adiantum Capillus Veneris</i> . L. ⁵⁾ | 32. " <i>recurva</i> . Wahlb. ⁹⁾ |
| 15. <i>Admiranthus perennis</i> . ? | 33. " <i>setacea</i> . M. et K. |
| 16. <i>Adonis vernalis</i> . L. ⁶⁾ | 34. <i>Alyssum calycinum</i> . L. |
| 17. <i>Adoxa Moschattelina</i> . L. | 35. " <i>montanum</i> . L. ¹⁰⁾ |
| 18. <i>Aethionema saxatile</i> . R. Br. | 36. <i>Anagallis arvensis</i> . L. |

1) Am Griesbach bei Anraß, bl. Aug.

2) Schneeberg bei Wien.

3) Auf der Königswiese, bl. Aug. (Auch am Laugenberg bei Senale.)

Die eingeklammerten Fundorte sind Zutat des Herausgebers.

4) Am untern Kaserplatzl, bl. Aug.

5) und 6) Wien.

7) Auf dem Zillar, bl. Aug.

8) Schneeberg b. Wien. (Auch Laugenberg.)

9) Ascher Alpe, bl. Aug.

10) Schneeberg bei Wien.